

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 43. (*Neovidensis* 1806. Nro. 36.)

*Secretum litterarum commercium vivos inter,
ac mortuos.*

Epistola missa in Elysium ad Henricum
Augustum Principem Hohenloico-Ingelfingensem.

Ex Germania

Elysium. -- Meum. -- Die Veneris 15. Maji 1806 (*Neov. 2. Maji*)

Defunctos manes sollicitos esse etiam trans Lethen de viventibus, perantiquum est, videturque speciem quamdam consolationis habere, ut homines, & familiæ catenæ instar sibi jungantur. Ita filius sequitur monita sui e vivis sublatis Patris, ac si adhuc vitam ageret; ita se conservant familiæ in sua magnitudine, enumerando heroica suorum Majorum facta, ita originem suam deducit a veteribus Flaminiis domus Hohenloica, & gloriatur se nomenclatione *altæ Flammæ* celebritatem nominis consecutam esse.

Grata isthæc occupatio interrumpitur; novæ Dynastiæ in ruinis veterum atollunt caput, novi viri, antea ignoti, suis dotibus, fortitudine, ac animi excellentia inclarescunt, & ad maxima fastigia provehuntur. Viden-

tur antiquæ familiæ jam satis vixisse, de ani-
mi excelsi magnitudine remisisse, sivilisquæ
sibi eripi palmam excellentiæ, quod non tri-
verint vestigia suorum Patrum. Bella erant
veterum familiarum campus, in quo gloriam
metabant, mollitiæ quietis factum est, ut ab
ea recederetur, alii eam suam fecerunt, qui
modo ibi stant, ubi olim, magni. Verum,
nobilissimæ Principum! Hohentloii ex hoc the-
atro pedem non retulerunt — In omnibus ex-
ercitibus visitur a fronte — in cunctis peri-
culis sunt primi, ea propter *alta* flamma non
est extincta.

Hodie quisque sentit, *ita quidam acutus*
scriptor, iniquitatem temporum, ut vix jam
unus reperitur, quem vitæ non tæderet.
Omnia vincula societatum nutant, prostrati
jacent antiqui nexus, Republicæ intereunt,
multitudo hominum per bella, & caritatem
rerum ad incitas redigitur. Constitutio Ger-
maniæ non est amplius, ejus vigor consenuit,
exiguo opus erat impetu, ut e medio tolle-
retur. Indiferens erga eam animus accelerat
ejus interitum; libido dominandi subruit illius
fundamenta, eamque iclu gratioso confodit.
Regna, quæ antea intimam fovebant amicitia-
m, redeunt in hostilem statum, studium
propriæ utilitatis dissolvit, quod per sæcula
erat consociatum.

Bellum non tantum non componitur, sed
majora terra, marique accipit incrementa.
Borussia, quæ omnem politicam artem im-
pendit ad illud declinandum, vi perniciosæ

eidem implicatur. Anglia indixit Borussiae bellum; quam noxium sit hoc bellum genti posteriori, licet ex sequentibus colligere:

Maritimum Borussiae commercium.

Negotiatio tunc tantum succedit, si se in illam non misceat gubernium, nullis artibus limitibus circumscribat, & liberam concedat omnium mercium in; & exportationem. In his solummodo rerum adjunctis eum florem obtinet, quem naturæ, & industriæ territorii convenientem habere potest. Commercium in Borussia satis quidem restrictum est, attamen adhuc fructuosum, & Reipublicæ summe utile. Borussiae naves permeant omnia maria, mercaturæ potissimum operam dant: Dantiscum, Stetinum, Embda, Regiomontum, Elbinga, Memalia, Nordena, Colberga, Pillavia.

Dantiscum est in quatuor Provinciis Borussiae australis, & orientalis celeberrimum emporium, 95 navibus propriis percursat maria: A. 1798 ejus portum intrarunt 1,072 naves, exierunt autem 1,082; Eodem anno inventæ merces effecerunt 1,925,395 evedæ 5,885,921. & lucrum, quod Civitas ex questu percepit, 3,500,000. Imperialium.

Stetinum habet pro Germania septemtrionali insignem, sed difficilem portum. A 1794 numeravit naves maritimas 121; Advenientes, & abeuntes naves erant 1600; importatio intulit 3,743,506, & Exportatio 1,63,176 Imperiales.

Embda est magni momenti urbs mercatoria in Frisia orientali, & toto circulo Vestphalico, quæstum exercet 98 navibus, quarum 54 mittit pro capiendis halecibus, 11, vero in Grönlandiam. Evectio mercium facit 1,100749, invectio 749885, & lucrum 350864 Imperialia.

Regiomontum tenet 49, Pillavia autem 13 naves. Uterque portus excipit quot annis prope 1021, dimittit autem 1004 navigia; Exportatio frumenti constituit annuas circiter 18508 mensuras.

Elbinga utitur 64 navigiis, ita etiam a proportione alii supra nominati portus. A. 1803 numerabantur in omnibus provinciis facile 2100 naves, 10500 nautis instructæ, ex illo autem tempore maritimum Borussia commercium auctum est tam navibus, quam hominibus, & ideo etiam plus lucri in eam derivatur. Borussia maximam partem educit frumentum pro 10 millionibus, & telam, ac fila pro 8 millionum summa.

Nunc adventunt Hamburgo nuntii, narrantque singulares eventus: Ex Dynastia Lauenburgica de 23. Aprilis.

Hæc a meridie 90 circiter Regii Borussici milites, partim equites, partim pedites occuparunt Lauenburgum, qui quidem hodie iterum excesserunt, sed ut aliis totidem numero locum darent.

Razeburgum quoque, & alia in Ducatu Lauenburgico sita loca Borussicæ copæ ingressæ sunt.

Regiæ Svecicæ legiones ex nostra provincia exeuntes in quadam velitatione se strenue defenderunt, qua de re fide dignam expectamus relationem.

Lubecca 23. Aprilis. Hodie hora 12. pomeridiana ad Seedorfium confligit manipulus equitatus Svecici cum peditatu Borussico. Copiæ Svecicæ jussæ sunt a Borussicis retro cedere, cum autem obsequi renuerent, Borussi Svecos adorti sunt: quo facto receperunt se in proximum collem, ubi secundam passi aggressionem fortiter restiterunt. Ex utraque parte aliquot occisi sunt, & aliquot vulnerati.

Hamburgo 24. Aprilis. Navigium cursus publici Hartvico die 18. discedens, & 21 vesperi Husum adveniens sequentia attulit:

Londino 16. Aprilis. Communico in vulgus sparsos rumores, vi quorum omnes Hamburgensium naves in portibus Anglicis deprehensæ detineantur; ita etiam cunctæ merces, in navibus vel Borussicis, vel talium provinciarum, quas Borussicæ copiæ apprehenderunt, existentes. Qua de re hodie adhuc præstolamur publicam Regiminis declarationem.

Advena qui eodem navigio advectus venit, de his dispositionibus jam ante suum Hartvico abitum erat certior factus.

Anglicus cursor, in eadem cymba vavigans, recta petiit Hafniam.

Præfectus navis, Elisabethæ, Mayer vela solvit Londino Hamburgum, cui in vicinia Amelandiæ, ab excubiis Anglicis significatum est, ne navigaret versus Albim, sed

quæreret Viadrum, verum ab alia armata navi Anglica ab ingressu etiam hujus fluvii prohibitus est. Paulo post ab eadem navi submisso Officiali, & aliquot viris accepit mandatum, ut in Angliam reverteretur. Gubernatorem navis Mayerianæ suscepit Anglus in suam navim.

Hanc relationem fecit d'ctus Gubernator navis adjiciendo: Anglicum navis Præfectum edixisse, hæc omnia primo in Anglia subscribenda esse.

Die 23. quatuor naves neutrales, quarum una Messaënsis erat, Toningenam appulerunt,

Fluvium Albim subiit Anglica celox Ariadne, eo fine, ut Anglicum legatum Berolini residentem, Jaksonium revehat in Angliam.

Ex Borussia 22. Aprilis. Hactenus Berolini, si fides habenda litteris inde scriptis, ea erat communis opinio, ut nemo putaverit, veras hostilitates locum habituras cum Anglia, sed hanc gentem contentam futuram occupatione navium Borussicarum. At nunc concidit hæc spes, dicitur enim palam, redux Londino Dominus Jakson attulisse suo Fratri mandatum, ut sine mora Berolino domum rediret, qui propterea jam etiam petiit litteras liberi comæatus. Existimabant nonnulli, se animadvertisse, Russicum legatum D. Alopeus nulla adhuc consilia contulisse cum Status Ministro Comite a Haugvitz, unde pessima quæque ominabantur. Interim hactenus nulla apparuerunt dissidiorum vestigia Borussiam inter ac Russiam, quin potius memoratus Legatus

Alopeus nuperrime consensit, ut per ejus fratrem apud Regem Sveciæ legatum Borussiae declaratio proponatur, ad quam tamen a Rege Sveciæ non est datum desiderio Borussiae Gubernii conveniens responsum. Cæterum magna pars exercitus Borussiae stabat adhuc in armis, habebatque mandatum ad proficiscendum illico, ut fuerit insinuatum. Quod veroin exteris ephemeridibus spargebatur, ac si Svecia minaretur tormentis impetere Borussiae urbes maritimas, valde mirum visum est Berolinensibus, nam, ut notum est, Regiomontum, Elbinga, Dantiscum, Stetinum &c plurimum horarum intervallo distant a mari. Princeps Ludovicus, Ferdinandus Magdeburgo venit Berolinum.

B I O G R A P H I A.

Henricus, Augustus. regnans Princeps Hohenloico-Ingelfingensis primam lucem aspexit 10. Julii A. 1715. Ejus Pater Comes Christianus Hohenloico-Ingelfingensis, Mater vero Maria, Catharina Comes Hohenloico-Pfedelbachensis eum sollicite educarunt. Aliquot annis morabatur Genevæ; absoluta autem peregrinatione cepit militare apud Electorem Saxoniam, sed paulo post transiit ad stipendia Circuli Franconici, ubi pedetentim usque ad dignitatem Magistri rei tormentariae, & primi Generalis evectus, in Imperio dein campi Marschallus renunciatus est. In præliis ad Rhenum circa annum 1740 commissis singulari animi

fortitudine se distinxit; A. 1743 matrimonio sibi junxit filiam Cnmitis Hohenloeo-Oringani, Paucum post tempus mortuo suo integerrimo Patri successit in imperio una cum suis fratribus. In bello septennali abiit ad exercitum Imperii Germanici, sed jam in primo conflictu A. 1756 habito captus fuit, & Magdeburgum abductus, unde nonnisi post Hubertsburgensem pacem A. 1763 confectam domum rediit. Non multum temporis intercessit, & est cum suis fratribus, & agnatis in ordinem Principum S. R. Imperii relatus. A morte suorum fratrum A. 1781 solus remansit hæres Hohenloeo-Ingelfingensium provinciarum, quarum commodapaterna sollicitudine promovit, usque dum 13. Februarii A. 1796 supremum obiret diem. Erat is probissimus, liberalissimusque Principum, qui unquam extiterunt. Justitia, & humanitas quam maxime elucebant ex ejus adionibus. Erga se fuit parcus, erga alios autem etiam cum neglectu suæ commoditatis beneficus; Suam Regionem ad eum perduxit florem, in quo antea nunquam fuerat. In suam familiam introduxit cum consensu Imperatoris, jus primogenituræ. Dignissimum nactus est filium, & successorem Principem Fridericum, Ludovicum, quem tanquam Borussicum Generalem ultimum gallicum bellum conspectissimum fecit.
